

SESSION 2012

LANGUE ET CULTURE ANCIENNE

Version latine

Version grecque

DURÉE : 4 heures

L'usage de la calculatrice n'est pas autorisé

Le choix entre version latine et version grecque a été **irréversiblement** fixé au moment de l'inscription.

Tournez la page S.V.P.

VERSION LATINE

Proximité des dieux et des mortels

Delubra esse in urbibus censeo, nec sequor magos Persarum quibus auctoribus Xerses inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset et domus. Melius Graii atque nostri, qui ut augerent pietatem in deos, easdem illos urbes quas nos incolere uoluerunt. Adfert enim haec opinio religionem utilem ciuitatibus, si quidem et illud bene dictum est a Pythagora doctissimo uiro, « tum maxume et pietatem et religionem uersari in animis, cum rebus diuinis operam daremus » et, quod Thales qui sapientissimus in septem fuit, « homines existimare oportere omnia quae cernerent deorum esse plena, fieri enim omnes castiores, ueluti quom in fanis essent, et maxime religiosos. » Est enim quadam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus. Eandemque rationem luci habent in agris ; neque ea quae a maioribus prodita est cum dominis tum famulis, posita in fundi uillaeque conspectu, religio Larum repudianda est. Iam ritus familiae patrumque seruare, id est, quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a dis quasi traditam religionem tueri. Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem et ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque diuinos. Bene uero quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecrantur humanae, quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt, ut illas qui habeant (habent autem omnes boni) deos ipsos in animis suis conlocatos putent.

Cicéron